

Lārs Porsenna et exercitus Ētruscus Rōmam obsidēbant. Rōmānī cibum nōn habēbant. Rōmānī famēlicī perterritīque erant.

Gāius Mūcius, Rōmānus fortis, nōn erat perterritus, sed irātus. Ad senātum vēnit et inquit, "Volō, senātōrēs, trāns flumen natāre et, sī possum, castra Ētrusca intrāre." Mūcius gladium ostendit. "Sī deīs placet, bellum finīre possum." Senātōrēs adnuunt.

Eā nocte, Mūcius in castra Ētrusca clam intrāvit. Mūcius ūnum mīlitem interfēcit et vestimenta ēius rapuit. Mūcius, gerēns hae vestimenta, vīdit duōs Etruscōs, quī vestimenta bona gerēbant. Mūcius Porsennam nōn scīvit, et nōn ausus est loquī cum Ētruscīs. Itaque, Mūcius ūnum virum oppugnāvit et eum interfēcit. Vir alter clāmāvit, "Custōdēs! Apprehendite eum! Satellitem meum interfēcit!" Vir mortuus nōn erat Porsenna! Porsenna erat incolumis!

Etruscī Mūcium apprehendērunt et eum ad tabernāculum Porsennae dūxērunt.

Mūcius, captus ab Ētruscīs, iam prō Porsennā stābat. Prope Mūcium erant multī mīlitēs et magna ignis. Porsenna eum spectābat.

"Quis est hic Rōmānus," Porsenna inquit, "quī audet intrāre castra nostra et temptāre mē interficere?"

"Sum Rōmānus, nōmine Gāius Mūcius," respondit. "Ego castra intrāvī et ego tē interficere temptāvī. Et nōn solus sum. Rōmānī sunt fortēs et multī tē interficere temptābunt."

Porsenna, irātus et perterritus, rogāvit, "Quot mīlitēs sunt? Quōmodo castra nostra intrābunt? Dīc mihi, aut tē igne excrucīābō."

Mūcius iam oculōs Porsennae spectāvit. "Tū mē excrucīābis?" Mūcius inquit. Lentē Mūcius posuit manum suam in ignem. Mūcius nōn clāmavit. Mūcius nōn lacrimāvit. Mūcius tantum oculōs Porsennae spectāvit.

Porsenna tandem clāmāvit, "Rēmovē manum et exī ā castrīs! Tū excrucīās tē magis quam ego! Tu es fortis et licet exīre incolumis."

"Grātiās, sed..." Mūcius iam inquit, "...sunt trēcentī mīlitēs Rōmae similis mihi, fortis et nōn perterritus. Identidem nōs interficere temptābimus. Tū nōn potes excrucīāre nōs, quod dolōrem nōn timēmus." Mūcius suam manum Porsennae ostendit, sed dēlēta erat. Porsenna iussit mīlitēs ferre Mūcium Rōmam.

Iam Porsenna erat perterritus, quod morī nōn voluit. Rōmānī erant insānī! Mox Porsenna iussit hominēs ire ad Rōmānōs quod voluit pācem.

In urbe, quod Mūcius iam manum dextram nōn habuit, omnēs eum vocāvērunt "Scaevola" et clāmāvērunt, "Euge Scaevola!"